DISSERTATIO NONNULLA DE AUSCULTATIONE ORGANORUM RESPIRATIONI...

Francesco Emerico Pepeu



DISSERTATIO
NONNULLA DE AUSCULTATIONE
ORGANORUM RESPIRATIONI INSERVIENTIUM
ATTINGENS

A

FRANCISCO EMERICO PEPEU
TERGESTINO

AD LAUREAM MEDICAM ASSEQUENDAM
HABITA



PATAVII
EX TYP. CRESCINI
1846

242.

Chi su, chi giù, chi qua, chi là travia.
Ariosto, Canto XXIV, St. 2.

HOMINIBUS

SAPIENTIAE AMICIS

VERITATIS – VIRTUTIS – LIBERTATIS

STUDIOSIS

LIBELLUM

VENERATIONIS TESSERAM

JUVENIS TREPIDANS

OFFERT

Scientiae omnes, observationibus ubique locorum institutis, experimentis consulto repetitis, ratiociniis demum exactis in unum collectis, superstructae lento sed firmo incedunt gressu.

Quod semel verum, semper verum.

Quum morbum in orgańis internis enatum detegere, sedem ipsius exacte definire, naturam vim stadium dignoscere nonnunquam perdifficile; quum morbi gressus exordium, incrementum, acmen, decrementum, finem diligenter prosequi oportet; quum denique mutationes in compage organorum intima forte praesentes, arduum sit errore operam *medici*, signis huic scopo inservientibus detegendis, atque symptomatibus morbi alicujus cognitis relationi eorum multifariae cum variis vitae actubus declarandae, omni aevo praestiterant. Recentioribus adminicula bina, penitus fere per millenos annos neglecta vel vix adhibita, ad diagnosim morborum praeprimis partium nonnullarum internarum explendam, usu veniunt *Percussionem* intelligo *Avenbrugger* et *Piory*, nec non *auscultationem Laennec*, de qua aliquid breviter, exponere in animo est, si benignates vestra, *auditores humanissimi*, impertitiae meae succurat.

In scriptis *Hippocratis* jam mentio aliqua, quoad applicationem auscultationis in morborum pectoris diagnosi, notatim praemissa succussione ad serosam pleurae effusionem detegendam, invenire contingit. Saeculo praeterlapso *Avenbrugger* medicus Vindobonensis publici juris fecit, pericula nonnulla ab ipso instituta, ut sonus varie modificatus, a percussione diversarum thoracis regionum eductus, aliquos suppedit characteres, quibus conditio organorum pectoris facilius innotescat. Methodus *Avenbrugger* primum neglecta, dein a *Corvisart* in Gallia evulgata, postremis hisce temporibus a *Piory* magis magisque exculta fuit. *Bayle* atque *Laennec*, praecipue in morborum cordis examine percussionem adhibebant non solum, verum auriculam praecordiis quoque adponere consueverant. Sed *Laennec*, debetur diffusus auscultationis in praesentiarum usus; qui sibi inventa anno 1816 typis edidit.

Auscultationem *Kergaradec*, ad gestationis statum ac vitam fetus, utero materno inclusi, certo certiorem reddendam proposuit.

Chirurgis ipsis, methodum auscultationis *Laennec*, non contemnendam, dixit *Lisfranc*.

Generico *auscultationis* nomine, notiones variae sonituum morbi alicujus praesentiam denotantium, comprehenduntur; sive sponte enati, sive arte educti, sola auricula corpori admota, vel instrumento munita, percipiantur.

Huc referri merentur methodus diversae ad sonos illos promovendos ac sentiendos a *Medicis* atque *Chirurgis* usurpatae: *succussionis* nempe, *percussionis*,

auscultationis demum strictiori sensu sumptae methodus.

Soni atque rumores sponte ab oscillatione et a vibrationibus, notatim in organis respiratoriis atque in circulationis sanguineae centro, ab impulsu motuque vario sponte enati ad *auscultationem* spectant proprie dictam. Sonitus tales, auriculam solam vel congruo instrumento munitam, superficiei corporis humani admovendo, percipiuntur. Si existentiae atque functionum textuum organicorum modus, a quibus illi sonitus vel originem trahunt, vel tantum modo transmittuntur metamorphosin aliquam patiantur, et soni modificationem subeunt. Modificationes vero tales, signa physica constituunt, quibus nonnunquam *medicus* diagnosin morbi intus latentis ceterum difficile eruendi atque dijudicandi certiorem reddit.

Adminicula, quibus *auscultationem* adjuvare hinc inde conceditur, sequentia exploratio manibus peracta, formae et motubus thoracis *inspectio*, ipsius *commensuratio*, *pressio abdominalis Bissut* atque *pulmometria Albernethy*. Quae saltem enumerasse sufficiat.

De *auscultatione*, quam *stetoscopicam* quoque vocant, et quidem de illa tantum parte, sonos rumoresque varios ab organis respirio dicatis procedentes, respiciente breviter loquar.

Auscultationem proprie dictam in *mediatam* atque *immediatam* distinguunt. Adplicationem auriculae ad corporis superficiem vocant *immediatam*, cui cum impedimenta varia obsint, plerumque in praesentiarum altera praefertur. *Mediata*, quae instrumenti peculiaris

ope aurem inter et regionem explorandam positi expletur, audit *auscultatio* Instrumentum hocce acusticum, ab inventore suo *Laennec stetoscopu* nomine, a duobus verbis e graeco idiomate desumptis (*στῆθος pectus ; σκοπέω examino)* conflato, insignebatur

Stetoscopium, quod *Laus* et *Piory* in medium protulerant, nunc usitatissimum ; cujus descriptionem supervacaneam omitto, cum forma et modus adplicationis consulto peractae aliunde unicuique *medicorum* innotescant.

Stetoscopo seu *tubo acustico* plerique *ligneo*, nonnulli utuntur *metallico*

Sonores, qui vigente sanitate animadvertuntur *soni ;* illi vero, qui tantum sub morbi alicujus decursu insurgunt *rumores*, ad aequivocum praecavendum appellare juvat.

I.

Sonores, organis spiritum ducentibus sanitate donatis proprii, auscultatione deprompti.

Auricula immediate vel stetoscopio intermedio thoraci adposita, peculiare sub respirationis actu *murmur* valde distinctum advertimus, quod aërem in pulmonum cavo, pectore expanso, ingredi, mox e cellulis, pectore depresso, egredi denotat. Murmur haud dissimile follis ope, cujus valvula nullum mota rumorem edat, inducimus Respirationis *sonor* sonos amplectitur varios, unum nempe a ductibus aëreis majoribus, alterum a minimis

ipsorum extremitatibus procedentem. Primus *bronchialis* dictus omnibus bronchorum divisionibus proprius, *flatum (soffio)* aliquem aliquatisper *confricantem (strisciante)* exprimit, cujus vis plus minus intensa, a varia bronchorum quos aër perflat amplitudine numero situ modificatur. Sonum de quo sermo, si ad tracheam *trachealem*, si ad laryngem pertineat *laryngeum* compellant.

Sonus alter *pulmonalis* seu *vesicularis*, sensationem *flatus* levioris magis expansi dat, caussalem nexum, cum structura atque officio, quod extremae, exiles, innumerae bronchorum divisiones et pulmonales vesiculae sunt nactae, agnoscit. Vescicularis sonus, valetudine secunda in plerisque thoracis regionibus, sonum obtundit bronchialem, ita ut saepe percipi nequeat.

Murmur sub inspirationis actu, enatum ab illo expiratione inducto, ut facilius morbus eluceat distinguere oportet, cum murmur ab expiratione procedens, levis sonus bronchialis sit, vix audire illum in sano contingit.

Aër haustus, multiplices bronchorum propagines magis magisque angustiores percurrens, in pulmonum vesiculis dein sese expandens, cum parietibus coërceatur organicis, quibus limites aëris transitui definiti ponuntur, caussam sonorum nunc recensitorum sistit.

Ad errorem, in organorum pectoris statu bono vel malo dijudicando, praecarendum, signisque auscultatione depromtis rite perpendendis, item facilius ut *medici* talis pertractantis dicta vel scripta, *medicus* alter intelligat, quindecim generatim in thorace regiones nu-

merantur, anterius posterius ad latera sitae, quae omnes schema sequens, brevi intuitu, offert.

Regiones anteriores	1. Regio supra-clavearis
	2. —— antero-superior
	3 —— mammalis
	4 —— sub-mammalis
	5. —— sternalis superior
	6. ———— media
	7. ———— inferior
Regiones laterales	8 —— axillae seu lateralis superior
	9. —— lateralis media
	10. ———— inferior
Regiones posteriores	11. e 12. regiones supra et infra scapulae spinam
	13. regio dorsalis superior
	14 —— infrascapularis
	15. —— dorsalis inferior

In singula harum regionum plus minusve intensus viget respirationis sonus Majori tamen in individuorum numero regiones pectoris antero-superiores prope sternum, nec non infra-scapulares sonum bronchialem ; axillares et laterales medianae vesicularem potius sonum animadvertere exploranti concedunt.

———

Vocis in sano resonantis.

Si homo, dum respirationis organa auscultatione explorantur, loquatur, *bombum (rimbombo)* seu vocis *fremitum (fremito)* plerumque obtusum, in universa thoracis circumferentia advertimus, quorum vis in regionibus variis diversa, a bronchorum volumine copia situ vario dependet. *Bombus* et *resonantia* talis, generatim ad regiones infra-scapulares atque antero-superiores prope sternum clariores, eoque magis si aliquis accedat marcoris gradus.

In pueris respirationis soni valde adultorum fortiores facilius adnotantur; notam et alteram tenent sibi propriam, quae comparatione potius distinguere, quam verbis definire licet. Copiam aëris majorem, tenuitate organorum perspecta, in pulmones, qui expansionem majorem magisque promptam concedunt, ingredi videtur. In senibus e contra respirii plerumque imminuntur soni. Feminae maturae sonos distinctiores, quam mares adulti exhibent, hoc quoque sub respectu pueris propiores.

II.

Rumores organis respiratoriis morbo pessumdatis pertinentes.

Soni sanitate vigente sponte enati, a morbo vel *augeri*, vel *imminui*, vel penitus *supprimi*, vel varie *modificari* possunt.

A. Soni respiratorii adaucti.

Cum aer majori in copia, vel validius bronchorum parietes confricans, notabili absque impedimento pulmones ingreditur, soni adparent adaucti. Hic spectant: 1. *Respiratio puerilis*; 2. *Respiratio bronchialis* ejusque varietates.

1. *Respiratio puerilis*. Si respirationis soni, qui in adultis audire physiologica sub conditione fas est; sonum *bronchialem* et *vesicularem* puta, morbo vigente, tali pacto in crescant, ut illis in pueris sanis, exploratione perceptis aequiparari possint; *respirationem exageratam* seu *puerilem* medici declarant. Quae plerumque, cum pulmo unus vel tantum illius pars, pulmonis vices vel partis morbo correptae fungere queat, contingit Respirationis exageratae fundamenta, aëris copia major partes sanas ingrediens, ejusque impetus adauctus.

2. *Respiratio bronchialis*. Nonnunquam sonus bronchiis pertinens, sono vesiculari imminuto vel ablato, distincte advertitur, respirationem tum *bronchialem* dicunt. Qui respirii modus a quovis obstaculo aeris in minimis bronchorum propaginibus atque vesiculis pulmonalibus, ingressum egressumque impediente, aëre in majores tantum bronchos admisso, causatur.

Tubaria, *bronchialis respiratio* nuncupatur, si valde clara atque distincta, aëris per tubum ligneum perflantis sonum simulet.

Respiratio bronchialis flans, a sensu peculiari dignoscitur, fere talis, ut si inspirationis actu, aer ab ex-

plorantis aure adtraheretur, expiratione subseque vero, contra aurem impelleretur. Talia respirationem bronchialem, in bronchiis superficie propioribus contingere demonstrant.

Respiratio bronchialis clarius generatim, textu pulmonali bronchos circumdanti inspissato elucet; bronchialis sonus tunc bene evolutus, facilius quoque transmittitur.

Cum aër pulmones ingrediens bronchos consueto majores pertranseat, aure sonum similem illo, aere per fistulam amplam flante inducto, adnotatur. Sonus bronchorum proprius, justo magis expansus propter majorem aëris immissi volumen, nomen *flatus bronchialis difusi* exinde nactus.

Si quod rarius, partialis bronchorum eurisma foveam vel cavernam emulans, vel quod saepius, fovea si parenchymate pulmonali exeso oriatur; et aer haustus, bronchorum ope libere immittatur, sonus bronchialis amplitudine ac murmure in regionibus loco adfecto propioribus, valde distinctus, nomine *respirationis cavernosae* definitur.

Respiratio amphorica illis in casis habetur, in quibus cavum amplum, ostio angustiori, aërem a bronchiis accipiat; vel si fovea superficialis in pleurae cavum aerem ingredi sinat, dum humor liquidus plane deficiat, vel vix minima in copia adsit. Sonus talis *amphoricus* dicitur resonantiam propter, illae haud dissimilem, quam aërem in vitreum vel amphoram, cervice angustiori instructam, flando inducitur.

B Respirationis rumores imminuti, vel ex integro suppressi.

Respirii rumores debiles evadunt, vel etiam quandoque omnino deficiunt, quin habitualem respirationis torporem comitem habeant; quod, absque morbo, hinc inde videre contingit. Imminuitur respirationis murmur, si bronchorum propagines et pulmonum vesiculae propria vi elastica amissa, parum reactionis, aëre hausto, expansae exsereant; imperfecta hinc expiratio perficiatur, et nova aëris unda nimis exigua, absque organorum respirationis murmure pectoris cavum percurrat. Vesicularis rumor descrescit vel plane desideratur, si bronchorum minorum compressio, vel vesicularum pulmonalium oppletio adsint, quod in hepatisatione, tuberculis, tumore etc. videre est. Rumore vesiculari imminuto vel deficiente, bronchialis plerumque increscit rumor. Ambo si oppletio vel compressio valida bronchorum majorum contingat silent rumores; v. gr. in effusione, catarrho, tumore.

Respirii murmur in regione antero-superiori, prope claviculam et sterni manubrium, in regione supraclaveari, dorsali superiori, infra scapulis rarius deficit.

C Respirationis rumores immutati.

Rumores respiratorii varias modificationes, a difficili vel cohibito aëris in bronchos et in vesiculas pulmonales ingressu, inductas subeunt. Rumores tales *rhonchi (rantoli)* plerumque dicuntur.

Rhonchi a vesiculis procedentes *vesiculares*, a bronchis *bronchiales*, a foveis morbo in parenchymate pulmonali exortis, nati *cavernosi* vocantur.

TABULA

Rhonchos varios a *Laennec* distinctos exhibet.

A. Rhonchi vesiculares.

1. Rhonchus vesicularis humidus
   a *Râle crepitant humide*, seu *crépitation*
   b. *Râle sous crépitant*
2. Rhonchus vesicularis siccus
   Râle crepitant sec à grosses bulles, seu *craquement.*

B. Rhonchi bronchiales.

1. Rhonchus bronchialis humidus
   Râle muqueux
2. Rhonchus bronchialis siccus
   a. *Râle sibillant sec*, seu *sifflement*.
   b. *Râle sonore sec*, seu *ronflement*

C. Rhonchi cavernosi.

1. Rhonchus cavernosus humidus
   Râle caverneux seu *gargouillement*
2. Rhonchus cavernosus siccus
   Respiratio amphorica (Breventans).

A. Rhonchi vesiculares.

1. Rhonchi vesiculares humidi.

Rhonchus crepitans (Râle crépitant humide sive *crépitation Laennec)* rumorem talem praesefert, qualis a pinguedine parca in copia ebullienti (Breventani), vel a salis marini igni expositi decrepitatione, arte obtinetur *(Laennec, Dance)*. Bene crepitationem sani pulmonis acre divitis manu compressi simulat. Talem rhonchum crepitantem bullis parvis distinctum in primo pneumonitidis stadio, cum liquidum sero-sanguineum in vesiculis exhalatur, adnotare contingit. Ab aëris cum liquido effuso commixtione efformantur bullae, quae dein ruptae rhonchum crepitantem exhibent. Hic rhonchus bullis parvis magnitudine similibus a caeteris distinctus, sub inspiratione tantum percipitur.

Rhonchus subcrepitans (Râle sous crepitant Laennec) nonnisi modificationem relati sistit, et sensationem bullarum majorum, volumine dissimilium diruptarum praebet, plerumque pulmonum angeioidesis vel oedematis signum.

2. Rhonchi vesiculares sicci.

Rhonchus crepitans siccus (Râle crepitant sec à grosses bulles, seu *craquement Laennec)*; *Rhonchus crepitans siccus magnis bullis*, italice *rantolo scricchiolante* quoque dictus, sonitus vesicae siccatae aëri expansae imaginem refert. Talem rhonchum *Laennec*,

praecipue si, basis pulmonum vesiculis, aër inspiratione admissus in textu vesiculas ambienti sese expandat, sive in enphysemate lobulari, insurgere docet

B. Rhonchi bronchiales.

1. Rhonchi bronchiales humidi.

Rhonchus mucosus (*Râle muqueux Laennec*), a morientium rhoncho non longe distat, quem et aure pectori non admota percipimus. Rhonchus hic a bullarum magnitudine discrepantium, ab aëre per liquidum spissiorem *(mucum etc.)*, in bronchiis variis collectum transeunti, efformatarum ruptione originem trahit.

2. Rhonchi bronchiales sicci.

Rhonchus sonorus gravis (Râle sonore sec, sive *ronflement Laennec)*, rumorem plus minusve gravem, aliquando valde intensum exhibet; qui cum dormientis rhoncho, cum sono vibrantis fidium majorum chordae *(corda di violoncello)*, sive cum flebili turturum murmure conferri potest A bronchiis majoribus, ob partialem mucosae congestionem sive inspissationem, vel ob compressionem a parte aliqua volumine adaucta, coarctatis procedit

Rhonchus sibilans (Râle sibilant sec, *seu sifflement Laennec*; italis *rantolo sibilante* vel *fischiante)* Hic rhonchus a sibilo, illi vento per januae rimam impetum facienti simili *(Bart et Roger)*, quem aer bronchos per-

flans edit, *sibilans* dictus, cum bronchorum fistula ob congestionem mucosae ad minores quoque ramos, uti in nonnullis catarrhis, diffusam valde coarctetur, insurgit.

C. Rhonchi cavernosi.

1. Rhoncus cavernosus humidus.

Rhonchus cavernosus (Râle caverneux, seu *gargouillement Laennec*; italice *rantolo cavernoso* vel *gorgoglhamento)*, rhoncho mucoso similis, differt ab ipso obsonum bullarum majorum in foveam limite certo distinctam disruptarum. Si foveae sint amplae et sufficientem fluidi copiam teneant, aërique sub inspiratione pateant, rumorem qualem aër in vitreum aqua repletum, ostio ad imum verso, impetum faciens edit *(glu-glu)* causant. Angustiores vero si foveae sint, rhonchus exinde natus, mucosum supra relatum omni ex parte aequiparat. *Rhonchus cavernosus* sub tussis actu exploratus magis consueto distinctus.

2. Rhonchi cavernosi sicci.

Talem locum *Breventani, respirio amphorico* de quo supra, adsignare suadet.

De vocis resonantia vigente morbo.

Resonantia vel *bombus*, qui sub loquela, sani hominis auscultatione innotescunt, organis intus contentis

morbo laesis, mutationes varias subeunt, quas plerumque in una potius quam in altera thoracis parte audire contingit. Huc pertinent *bronchophonia*, *aegophonia*, *pectoriloquia*.

Si dum hominis loquentis pectus auscultatione exploretur, vocis resonantia intensa potius, aure percepta, haud clare verba singula adverti sinat, *bronchophonia* phaenomenon hocce audit. Diagnosticae *bronchophoniae* dignitas major, si in latere uno altero validior, vel si in imis thoracis regionibus manifesta. Vesicularum pulmonalium atque propaginum bronchiorum exilium oppletio (hepatisatio, tubercula), et bronchorum lumen justo major *bronchophoniae* sistunt causam. Charactere sibi proprio, *aegophonia* seu *resonantia* vocis *caprizans*, a rumoribus ceteris dignoscitur. Vocis resonantia, quae tali in casu sese exploranti offert, aliquid *tremuli* atque *saltuosi*, capre balatus ad instar tenet, hinc nomen a voce graeca *αἴξ, αἰγὸς (capra)* hausit. Sonum vocis, vero acutiorem et aliquantisper asperum reddit.

Aegophonia plerumque eodem quo verba proferuntur temporis momento, rarius verbo finiente ad echus similitudinem percipitur. Princeps *resonantiae caprizantis* conditio, liquor tali copia in cavum pleurae effusus, ut levis tantummodo pulmonum compressio, inde contingat.

Si loquente aegro pectus exploretur, vocisque *resonantia* ad aurem usque stetoscopio ducta verba sat clare atque distincte percipere sinat, *pectoriloquiam* declaramus praesentem, quae plerumque in regione una vel altera tantum advertitur. *Pectoriloquia* in pulmonum

parenchymate vel in pleurae cavum, cui cum bronchiis commercium, vel quod rarius bronchiorum eurismam denotat Si verba distincte *perfecta*, sin minus percipiantur *pectoriloquia* audit *imperfecta*

De tinnitu metallico.

Rumorem aliquem peculiarem similem illo, qui acu poculum metallicum vel vitreum tangendo, vel arenae granum in poculum ipsum immittendo (Breventani), vel demum chordae sonorae metallicae levem oscillationem promovendo excitamus, *tinnitum* metallicum compellant.

A variis respirationis actubus non solum, monente *Laennec*, sed a causa quoque diversa, si aeger decumbens, aliquantisper erigatur, vel ex integro e lectulo surgat *tinnitus* excitatur *metallicus*. Laesiones organicae quibus *tinnitus metallicus* innititur, in cavo valde amplo, parietibus stipatis instructo, aliquando in pulmonibus saepius in pleuris sito, aërem externum plerumque bronchorum ope admittenti, liquore tenui pro parte repleto, sunt reponendae *Tinnitum metallicum*, ab aëris ad superficiem liquoris vibratione, procedere autumant Quum tinnitus talis sub loquela tantum vel tussi percipiatur, rectius *resonantia metallica* dicitur, si absque respirii concitatione, nomine *respirationis metallicae* insignitur.

Rumores Pleuris morbo detentis proprii.

Pleuritica pulmonum superficies dum pulmones sani aere inspiratione capto, expanduntur et dein, aëre ex-

pulso, delabuntur, pleuram costalem perfricat. Nihilominus ob superficiem omni ex parte levissimam, vapore seroso, continue fotam, nullus oritur sonus aure manifestus, si superficies e contra qualemcumque ob causam sicca, inaequalis aspera evadat, rumores magis vel minus intensi, ob superficiei utriusque frictum, nomine *rumoris pleurae perfricantis* (rumore di soffregamento delle pleure), medicis noti animadvertuntur. Rumorem perfricantem *Laennec* in pulmonum exphysemate notatim lobulari, cum aër parenchyma ingrediens superficiem pulmonis pleuriticam inaequalem asperamque reddat, contingere declarat. *Rumorem* tali in casu praesentem, ob corporis ascendentis sensum, inspirationis atque expirationis actu, exploranti patentem, *perfricantem ascendentem* ac *descendentem* compellat. Studiis tempore subsequo institutis, rumorem talem, non solum cum cartilagineus, osseus, tubercularis tumor, in pulmonum superficie locatus internan thoracis parietem perfricans adsit, verum etiam in ipsa pleuritide, superficie, fere villis ab effuso albuminoso humore breviter solidescenti obortus, inaequali reddita, insurgere compertum habetur.

Rumor perfricans cum pseudoplasmata in cavum pleurae efformentur, interdum in inspiratione tantum percipitur. Juxta indolem pseudomembranarum variam, rumor pleuriticus diversimode modificatur. Si recenter natae atque molles non auditur, fibrosam versus si induant naturam vel si pleurae aliquo modo simul cohereant, chartae membranaceae *(pergamena)* vel quandoque corii mox parati *(cuojo nuovo)* sonum aequat

362

Aliquo in casu productis cartilagineis vel osseis formationis morbosae in pleuris praesentibus, attrito superficierum concesso, rumorem scalpro (*raspa*) inducto similem advertimus. Rumor talis, illum a circulationis organis centralibus procedentem simulans, a vi situ et temporis momento quo contingere solet, distinguitur, unus respirationi, alter pulsui synchronus. Nonnunquam rumores vix recensiti intensitatem talem nanciscuntur, ut sponte ab aegro percepti, aliis a longinquo innotescant.

Plura atque plura, signis hucusque relatis, singulo pectoris morbo ac vario intensionis gradu stadioque diverso eruendis, adplicatis, pertractanda forent, sed ne patientia vestra, *auditores praestantissimi*, abuti videar, dicendi finem his verbis facere liceat De veritate, de bono scientiarum in vitam influxu, quibus sedula naturae speculatio, eventuum, periculis tentatis, conscientia, phaenomenorum studium, causarum effectuum et nexus eorum cognitio viam sternunt, unquam sanae mentis homo dubitabit.

THESES DEFENDENDAE

I

Vera phlogoseos idea, in nimia vegetationis quoad spatium atque tempus ubertate habetur.

II.

Non Gangraena a Sphacelo essentialiter differt.

III

Ad sanguineam capitis congestionem tollendam, sectio potius venae jugularis quam temporalis arteriae instituenda

IV

Nunc hirudines nunc phlebotomia in praxi emolumentum afferunt

V.

Pustulas tartarus stibiatus non mechanice inducit.

VI.

Vitalis vis ubi reliquae Naturae vires per se non existit.

VII

Periodicus genitalium fluxus non feminae tantum humanae proprius.

VIII.

In difficili morborum pectoris diagnosi thoracis percussio et auscultatio non parum juvant.

IX.

Salus et morbus, vita aeque ac mors legibus iisdem obtemperant.

X.

Morbus interdum sensibili absque symptomate viget.

XI.

In Medicina quoque impossibilia a possibili, possibilia a probabili, probabilia a certis distinguere oportet.

Errata						*Corrige*
Pag. 5	linea 28	— benignitas	—	„		benignitas
„ 6	„	8 — suppedit	—	„		suppeditam
„ 7	„	11 — immum modo	—	„		immummodo
„ 7	„	18 — explementas	—	„		explementis
„ 9	„	26 — aeris	—	„		aere
„ 10	„	1 — qua e	—	„		quae
„ 12	„	11 — in arcevant,	—	„		arcevant,
„ 13	„	1 — subeque	—	„		subeque
„ 18	„	11 — ab	—	„		ab
„ 19	„	29 — acuti orum	—	„		acutiorum
„ 20	„	30 — aere	—	„		aere

Permulti impressionis errores auctoris debentur morbo, veniam hinc, bone lector, exopto.

Pag.	5	lin.	29-30	succumus	lege succumunt
—	7	—	3	rumores sponte ab	— rumores ab
—	9	—	18	ante onstum	— ante onstum,
—	—	—	27	procurendum	— procurendum
—	13	—	11	adeuntatur	— adeuntamus
—	—	—	22	cutis	— gastrus
—	—	—	32	adeuntur	— iudeulmus
—	15	—	8	auctis nati	— auctis nati
—	—	—	10	sons crépitant	— sons-crépitant
—	16	—	18	sons crépitant	— sons-crép tant
—	16	—	9-10	gargouillement	— gargouillement
—	19	—	12-13	major	— major
—	21	—	9	emphysemate	— emphysemata
—	—	—	18	secundaetis sensum	— secundaetis atque descendentis sensum